



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XI. De Plus petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

TITVLVS XI.

DE PLUS PETITIONIBUS.

Quia inter incidentes quæstiones, & exceptiones, quæ actori ante, vel post litis contestationem, objici possunt, etiam ea est, quòd actor plus petat, quàm ipsi debeatur; ideo hoc loco titulus iste subicitur, in quo duo proponuntur, videlicet modi plus petendi, & pœnæ plus petentium.

§. I.

Quot modis plus petatur?

I.

Nc. Consultum; unie. h. t. Papa Gregorius I X. ait, non esse consultum actori, si pecuniam sibi debitam, ante terminum solutionis, ab adversario repetat; postea verò in §. Te quoque; subjungit, quòd quatuor sunt modi plus petendi, causâ, re, loco, & tempore. Et in primis causâ plus petitur, cum aliquid in genere, vel alternativè debetur, & unum præcisè, sive in specie, ac determinare res certa petitur: re autem plus petitur; si v. g. X. debeantur, & XX. petantur: loco autem, cum quis non, ubi conventum fuit solvere, sed alibi convenitur: denique tempore, cum ante diem, vel conditionem petitur, quod debetur.

II. Circa hos 4. modos plus petendi Notandum primò. Causâ tunc plus peti dicitur, quando quis certum quid in specie à debitor petat, quod is in genere tantum ei promissit; ut si quis equum, vel vinum in genere debeat, ac promissit, & creditor equum Neapolitanum, vel vinum Rhenanum petat; vel si is, cui alternativè debetur equus, vel XII. aurei, equum tantum, vel 12. aureos tantum, ac præcisè, petat. Nam in debitis ex contractu indeterminatis, seu alternativis Rei, seu debitoris est electio, l. Plerumque; 10. in fine ff. De jure dot. & reg. jor. 70. in 6. & sufficit, alterutrum adimpleri, ac proinde qui promissit v. g. equum dare in genere, non cogitur dare Bucephalum, sed quemcumque ipse voluerit, & qui certum equum promissit, vel X. aureos, potest dare, vel equum, vel pecuniam: ideòque qui ex pluribus indefinitè, seu alternativè promissis aliquid certum, ac definitum petit, plus causâ petere dicitur; quia per talem petitionem electio debitori auferatur, & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, adversarii verò deteriorem; quin etiam licet ex duobus sub disjunctio debitis, id, quod minus, & vilius est, quis petat, nihilominus plus petere intelligitur: quia sæpe accidit, ut promissori facilius sit illud solvere, quod majoris pretii est; prout habetur in §. Hinc autem; Instir. de action.

Excipi debet, nisi verba executionis dirigantur ad creditorem, ita, ut appareat ex verbis, quòd ipsi concessa sit optio, seu electio; ut, si quis dicat:

Tomus II.

Do tibi facultatem, hunc, vel illum equum accipienda, unum, vel duo plaustra lignorum in sylva cadendi: quia hujusmodi disjunctio censetur adjecta in favorem promissarii, Molin. tr. 2. de inst. dis. 270. n. 5. Item si conventum sit, ut soluto matrimonio, mulieri res dotales, vel æstimatio earum præstentur, utrum mulier voluerit, ipsius erit electio, cir. l. Plerumque; §. Si res in dorem.

Porro, si promissio duarum rerum disjunctivè facta sit, v. g. quòd alterum ex duobus equis, quos habet, Titio dare velit; & ante impletam promissionem, unus illorum, sine mora, aut culpa promissoris pereat, tenetur promissor dare alterum equum superstitem, l. Stichum; 95. §. 1. ff. De solution. l. 2. §. Scævola; ff. De legat. 1.

Excipitur primò. Nisi promissor, penes quem est electio, unum ex equis v. g. promissis elegerit: tum enim eo mortuo, sine culpa promissoris, is liberatur, ita, ut nec superstitem equum, nec pretium ejus, qui mortuus est, solvere teneatur: nam, si res casu pereat, ejus damno perit, cui in specie debetur; aliud est, si culpâ, seu morâ culpabili creditoris pereat, Molin. cir. dis. n. 4. Excipitur secundò. Nisi una ex rebus, quam promissor disjunctivè debet, ita, ut jus eligendi ad ipsum pertineat, absque ejus culpa pereat; tunc enim sufficit, si præstet ejusdem æstimationem, Arg. l. Cum res; 47. §. Sed si Stichus ff. De legat. 1. Gl. in cir. §. Scævola V. Solun; junct. Gl. marg. Molin. c. l.

III. Atque hæc quidem obtinent in debitis ex contractu: at verò in debitis ex ultima voluntate, v. g. legato, electio plerumque in dubio est creditoris, videlicet legatarii; ut, si testator dicat: Lego Titio vineam meam tali loco sitam, vel 100. aureos: vel, si verba executiva referantur ad legatarium; veluti: Frater meus habeat ex bonis meis vineam meam, vel 100. aureos: legatarii est electio, l. Planè; 34. §. pen. ff. De legat. 1. secus est, si verba executionis dirigantur ad heredem: Heres meus dabit vineam meam Titio, aut 100. aureos; tum enim electio est ipsius heredis, l. Si ita; 43. §. fin. ff. De legat. 2. Ratio autem diversitatis inter contractus, & ultimas voluntates, est; quia in his plenior fit interpretatio, quàm in contractibus, propter favorem ultimarum voluntatum, l. In testamentis; 12. ff. De R. I. & in contractibus sibi imputare debet creditor, seu stipulator, quòd legem conventionis non expressius dixerit, l. Veteribus; 39. ff. De pact. Schneidew. in cir. §. Plus autem; n. 17. & 18.

Z

IV. No-

IV. Notandum secundò. Re, seu quantitate plus petitur, si v. g. X. aurei sint debiti, & XX. petantur: vel si is, cuius ex parte res est, eam totam, vel majorem ejus partem petat, vel totam hereditatem, cum tantum ex parte heres sit institutus, *cit. §. Plus autem*. Quod tamen intelligendum est de principii debito: non autem de accessoriis, ut si quis petat fundum, cum fructibus, domum cum personibus, vel rem aliam cum omni interesse; postea autem constet, non deberi fructus, vel interesse, sed solum fundum, seu rem principalem: hoc enim casu, non incurritur pœna plus petitionis, quia pœnæ non sunt extendendæ, *l. pen. ff. De pœn.* Unde etiam consultum est, in libello adijci clausulam: Peto hæc, *salvo jure superflui*; per quam evitatur pœna plus petentium, *Mynsing. & Schneidevv. in cit. §. Plus autem; n. 1.* Sic etiam creditor, absque pœna plus petentium, actione hypothecariâ totam hypothecam persequitur, & ira plus, quam sibi debetur; cum plerumque valor hypothecæ summam debitam excedat; quia causa negotii, & actionis id permittit. Differt autem hic modus plus petendi re, à modo plus causâ petendi; quia, cum re plus petitur, id postulatur, quod in obligationem non est deductum: nam obligatus ad solvendum 10. aureos non est obligatus ad 20: neque obligatus ad partem dimidiam obligatur ad totam rem præstandam: quia totum est majus suâ parte, & numerus, seu quantitas minor habet se, ut pars, respectu majoris quantitatis: ideo, si ve petatur pars major respectu numeri, si ve respectu alterius rei, semper plus petitur, quam debeatur, & sub obligationem cadit. At verò, cum causâ plus petitur, petitur id, quod est debitum, si ve in obligatione saltem disjunctivè, seu electivè, nam in debitis alternativis, utraque pars est in obligatione, licet sub disjunctio, seu electione, quæ ad debitorem pertinet: sicut etiam in debito generis omnes species sunt obligatæ, non copulativè, sed disjunctivè, cum quilibet species sub eo genere contenta solvi possit, quamcumque debitor elegerit: est enim genus nihil aliud, quam omnes species simul collectæ, *Mynsing. in cit. §. Plus autem; Versic. Huic autem; n. 4. & 13. Schneid. ibid. n. 7.*

V. Notandum tertio. Loco plus petitur, cum quis alibi convenitur, quam ubi conventum erat, si ve, cum quis id, quod certo loco v. g. Augustæ sibi dari, stipulatus est; in alio loco, v. g. Ulmæ sibi dari petit purè, sine commemoratione loci, in quo sibi dari stipulatus est: aufertur enim debitori utilitas, quam, si in loco convento peteretur, fortè haberet; cum non in omnibus locis idem sit rerum pretium, aut pecuniæ æstimatio, seu valor, *cit. §. Plus autem*; ideòque, si quis eum, qui promissit, certo loco se soluturum, alibi conveniat, tenebitur ad id, quod interest debitoris, solutionem in alio loco, fieri, *cit. §. Plus autem, l. 1. & 2. in princ. ff. De eo quod certo loco, &c.* idque non propriè pœna est, sed potius ex naturali æquitate oritur, ut, si debitor alibi solvere cogatur, quam promiserat, habeatur ratio ejus, quod suâ interest, solutionem in convento loco non esse factam.

Quòd si creditor justam causam habeat petendi solutionem in alio loco, quam ubi conventum

erat, eò quòd in loco constituto debitor nunquam reperitur, aut non facile conveniri possit, tum ubique locorum, utili, & arbitrariâ actione conveniri potest, ita tamen, ut tam ex parte actoris, seu creditoris, quam rei, si ve debitoris, ratio habeatur, quatenus eorum interest, quòd solutio alio loco fiat, *cit. l. 1. & 2. in princ. ff. eod.* cujus ratio est, quia, si non posset peti solutio in alio loco, quam ubi destinata est solutio, interdum creditor frustraretur intentione suâ: quia debitor, vel datâ operâ, vel ob causam necessitatis, nunquam perveniret ad locum solutioni destinatum, quod esset iniquum, & satis est, quòd debitori satisfiat de interesse, eò quòd cogatur alibi solvere, *Abb. in c. unic. n. 4. h. t.* Sin autem actor, seu creditor non habeat justam causam petendi solutionem in alio loco, quam constitutum erat, tum non tantum ad interesse, sed etiam ad expensas litis tenebitur; quia incurrit pœnam plus petentium, ut infra dicitur. Porro, quòd certo loco solvi promissum est, potest etiam peti in alio loco commodo, & idoneo; videlicet in loco domicilii, in quo debitor habitat; ut colligitur ex *l. Heres; 19. §. ult. ff. De Judic.* dummodo mentio fiat loci, in quem solutio destinata erat, & ratio habeatur utilitatis, seu interesse, si debitoris interest alibi potius solutionem fieri, *cit. l. 1. & seq. ff. De eo quod certo loco &c. Mynsing. in cit. §. Plus autem. n. 14. & seq.*

VI. Notandum quarto. Tempore denique plus petitur, cum ante diem, vel ante conditionem pactioni, seu promissioni adjectam petitur, quòd promissum est, *cit. §. Plus autem*; Ut si quis promissit tibi 100. aureos ad proximas Calendas Februarias, & tu petas antea, vel si quis promissit tibi 100. aureos, si Imperator in prælio Turcam vicerit, & tu petas ante conditionis eventum: nam uterque, & is qui ante diem, & is, qui ante conditionis eventum petit, præmaturè, adeòque plus tempore petit; sicut enim, qui tardius solvit, quam solvere deberet, minus solvere intelligitur, ita eadem ratione, qui præmaturè petit, plus petere videtur, ut à contrario sensu argumentatur *Justinian. in cit. §. Plus autem; Instir. de act.*

Sed dices, quomodo ante conditionis eventum potest quis dici plus debito petere, cum nullum subit debitum, nec obligatio aliqua adhuc orta sit, juxta *l. Cedere diem; 213. ff. De V. S.* Respondetur, tamen si is, qui, pendente adhuc conditione, petit, plus debito non petat, sed petitio ipsius sit ipso jure nulla, lege tamen statutum est, ut jure suo cadat: quia plus delinquit, qui petit, quòd omnino non debetur, quam qui petit, quòd debetur quidem, sed alio tempore, quam quo petitum est: quare, cum is, qui ante diem petit, pœnam plus petitionis incurrat, rationi consentaneum haud fuisset, ut is non puniretur, qui petit ante conditionem existentem. Neque verò ad hanc pœnam incurrandam requiritur, ut petitio actoris, ante eventum conditionis, de jure teneat; sed satis est, quòd de facto plus petiverit, si ve ante eventum conditionis. Instabis, is, cui nulla omnino promissio facta est, si petat aliquid

tanquam
pœnâ plu
ne prom
sequenti
nihil est
cui sub
conditio
sparem esse
quia, quò
lam pœna
venit, quò
missione,
quiltum
Judice sal
puniti: a
promissio
aliquod h
vitus obli
dam, si c
conditio
postea co
nihil illi
Plus autem

Porro
petitionis
do quis pe
plus petiti
Harprecht.

Qu

VII.
Punitur;
plus pet
perflitat
adverfar
loco plu
utilitas
statuto
plus pet
gitur su

VII
mò. Oli
derent, i
gram rest
17. annis
Instir. de a
excepto ur
C. De plus
ipfi dehea
nem oblig
actum est
enim toto
esse notan
plus re, v
omne dar
tori intulu
quod ob
To

tanquam ipsi promissum esset; non potest puniri pena plus petitionis: ergo nec is, cui sub conditione promissio facta est, penam hanc incurret. con- sequentia probatur: quia sicut nihil debetur ei, cui nihil est promissum; ita nihil etiam debetur ei, cui sub conditione aliquid promissum est, ante condi- tionis eventum, *cit. l. Cedere*. Respond. di- sparem esse inter priorem, & posteriorem rationem: quia, quod is, cui nihil omnino promissum est, nul- lam penam plus petitionis incurrat, non ex eo pro- venit, quod legitime, & iuste petierit, sed quia ex pro- missione, quæ non fuit facta, nullum jus ipsi ac- quisitum fuit, quod posset amittere; & talis potest à Judice saltem penam extraordinariam, & arbitrariam puniri: at verò is, cui sub conditione facta est promissio, etiam ante conditionis eventum, jus aliquod habet, videlicet, quod promissor etiam in- vitus obligetur ad id, quod promissum est, præstan- dum, si conditio extiterit: & hoc jus petens, ante conditionem existentem, amittit, ita, ut, etiamsi postea conditio extiterit, sub qua promissum est, nihil illi debeatur, *Harprecht. in §. Si quis agens; V. Plus autem; n. 19. Instit. de action.*

Porro addunt nonnulli alium modum plus petitionis, nempe qualitate, seu æstimatione, quan- do quis petit rem ejusdem speciei meliorem: sed hæc plus petitio, sub ea, quæ fit causâ, comprehenditur, *Harprecht. c. l. n. 16.*

§. II.

Qua sit pena plus petentium?

VII. De hac quoque agitur in *cit. c. unic. §. Punitur; h. t.* ubi dicitur: Punitur importunitas plus petentium, si super petitione sua in Judicio persistant, ita, ut, qui re plus petunt, aut causâ, adversario in expensas condemnentur: qui autem loco plus petunt, ad interesse obligentur, quia utilitas admittit debitoribus, quam haberent, si statuto loco solvissent. Ei verò, à quo tempore plus petitur, induciæ duplicantur, nec litem cogitur suscipere, nisi ei solvantur expensæ.

VIII. Porro circa has penas Notandum pri- mò. Olim pena plus petentium fuit, ut causa ca- derent, id est, rem amitterent, nec facile in inte- grum restituerentur, nisi ratione ætatis, ut minor 25. annis, aut justis erroris de facto, *§. Si quis agens Instit. de action.* quæ tamen pena hodie sublata est, excepto uno tantum casu expresso in *l. Odiosas; unic. C. De plus petit.* videlicet si quis super majore, quam ipsi debeatur, quantitate per dolum malum cautio- nem obligatoriam exigat, & ita non revocans, quod actum est, nec transgens litem sit contestatus: tunc enim toto debito carere debet, quod contra usurarios esse notandum, ait *ibid. Gl.* Jure verò novo, qui plus re, vel causâ, vel loco petit, condemnatur in omne damnum, quod suâ petitione reo, seu debi- tori intulit, & insuper pendere debet triplum ejus, quod ob majorem quantitatem libello conventio-

Tomus II.

nis comprehensam viatoribus, id est, executori- bus litium, sportularum, id est, mercedis, sive sa- larii nomine præstandum fuit, *§. Tripli; & §. Sed hæc quidem; Instit. de action.* Quam tamen penam tri- pli de Jure Canonico locum non habere, verius est, ut docet, *Abb. in cit. c. unic. n. 9. h. t.* tum quia pena hæc ibidem non est expressa, sed solum dicitur, quod plus petens re, vel causâ condemnandus sit parti adversæ in expensas; plus loco verò petens teneatur etiam ad interesse: tum quia in *cit. §. tripli* agitur de expensis factis nomine sportularum, per quas intel- ligitur pecunia, quæ impenditur in Judicem, nuncios, & executores Judicii; in foro autem Ecclesiastico hæc sportula non præstantur, *c. Cum ab omni; 10. De vita, & honest. Cleric.* ex quo sequitur, quod etiam in foro civili, ubi ex consuetudine non præstantur sportulæ, huic penæ tripli non sit locus, *Abb. c. l.*

Non obstat, quod jam per antiqua jura provi- sum sit, ut omnes temere, & calumniosè litigantes teneantur, & condemnari possint ad damna, & ex- pensas solvendas, *c. Calumniam; 4. de pen.* ideòque supervacanea videatur dispositio *c. unic. h. t.* & nihil novi afferre. Nam respondetur, quod condemnatio in expensas per antiqua jura fiat tantum accessorie ad petitionem partis, ante latam sententiam; post la- tam verò sententiam super causa principali, non potest Judex amplius condemnare in expensas, cum suo officio functus sit, *l. Terminato; 3. C. de fructib.* At verò per dispositionem *cit. c. unic.* potest exactio, & condemnatio expensarum, in modum penæ fieri principaliter, sive pendente Judicio, implorato offi- cio Judicis, sive etiam post latam sententiam, novo ad hoc libello oblato, seu propria actione institutâ, *Abb. in cit. c. unic. n. 10.*

IX. Notandum secundò. Pœna verò ejus, qui tempore plus petit, videlicet ante diem definitam, vel conditionem impletam, est, ut induciæ adversario duplicentur, neque is cogatur litem susci- pere, nisi expensæ ipsi solvantur, *cit. c. unic. h. t.* Quod dupliciter intelligi potest: vel ita, ut tempus non totum, sed quatenus ab ipso actore præventum est, sive id, quod debitori supererat ad solvendum, in odium creditoris præmaturo petentis, duplicetur. V. g. conventum est, ut debitor intra annum solvat, quod debet: petiit autem creditor decimo mense, & ita duobus mensibus, ante terminum constitutum; solum duplicabuntur isti duo menses, *Arg. l. Aut damnus; 8. §. Quisquis; ff. De pen.* ubi dicitur, quod duplicatio penæ damnati ad metallum tantum fieri debeat ad tempus, quod superest, cum fugit ab opere: idque æquum est, ut non puniatur reus ul- tra, quam deliquit, & cum agatur de materia pœnali, id restringendum est, *Abb. in cit. c. unic. n. 14.* Alii tamen communiter contrarium tenent, quod integer annus duplicari debeat, *Arg. §. Temporales; Vers. Hodie autem; Instit. de except.* ubi dicitur, quod induciæ, quas ipse actor sponte indulserit, vel quas natura actionis continet, si contempserit, in duplum habeantur, qui talem injuriam passi sunt: ubi tamen secundum *Abb. c. l.* solum dicitur, quod induciæ, sive ab homine, sive à jure datæ sint, debeant duplicari in penam,

pœnam, sed ita, ut duplicentur juxta delictum, *cit. §. Quisquis*; Itaque secundum posteriorem sententiam, quam tenet *Jo. Andr. & Schneid. in cit. §. Plus autem*; *Vers: Sed hæc quidem*; n. 3. & alii, totum tempus, inchoando à tempore contractus, seu promissionis, usque ad tempus solutioni destinatum duplicandum esset. Nec obstat *text. in cit. §. Quisquis*; quia is loquitur de pœna corporali, hæc verò agitur de pœna pecuniaria, quâ cum gravior sit quavis pœna corporalis, *l. In servorum*; 10, in fine ff. De pœn. ideo ab hac non fit bona illatio ad illam, *Schneid. l. c.* Ex quo patet, quòd utraque sententia sit probabilis.

X. Notandum tertio. Si actor plus debito petens, ante litem contestationem, à petitione desistat, non incurrit prædictas pœnas plus petentium, ut constat ex *cit. c. unic.* ubi dicitur, quòd punitur importunitas plus petentium, si super petitione sua duxerint in Judicio persistendum. *Gloss. ibid. Vers. In Judicio.* Ratio est, quia non petit jure debiti, sed petere voluit, *Arg. l. Amplius*; 15. ff. Rem ratam haberi; *Gloss. in l. unic. Vers. Dispensio*; C. h. t. ita tamen ante litem contestatam adversarius, seu actor impunitè pœnitere, seu desistere potest à petitione, ut reneatur ad expensas restituendas, quas fecit debitor, & ad omne interesse, *Gl. Margin. in cit. c. un. lit. f. Hostiens. ibid. V. Punitur.* Imò valde probabile est, quòd, si actor quandocunque, etiam post litem contestationem, dummodo ante sententiam, à petendo desistat, pœnas plus petentium evitet, quia in

cit. c. un. pœnæ hæc imponuntur propter perseverantiam in Judicio; propriè autem Judicium non dicitur, nisi à litem contestatione usque ad sententiam; deoque non potest dici super petitione sua in Judicio persistere, qui ante sententiam desistit; & verba legis inflexibilis pœnam intelligi debent cum effectu; adeoque si persistat usque ad sententiam, *Abb. in cit. c. un. n. 6. h. t.* Porro alii duo sunt casus expressi in *l. un. C. h. t.* in quibus actor plus petens per dolum evadere potest pœnam plus petitionis; de quibus videri potest *Gl. ibid. V. Transactionibus*; & *Bart. ibid. & Abb. in cit. c. un. n. 7. & 8.*

XI. Notandum quarto. Etsi regulariter non possit peti, quod ad certum tempus promissum est, ante illud: in quibusdam tamen casibus à jure concessis potest: sic enim dos, ante solum matrimonium, repeti potest; & si debitor de fuga suspectus sit, potest capi, & tradi Judici; item peti potest, ut cautio interponatur de debitore suspecto, *Abb. in cit. c. un. in fine.*

Illud hæc addendum, si actor plus petiit, & tunc, seu debitor plus negavit, quia v. g. negavit simpliciter, se aliquid debere, cum partem deberet, is non incurrit pœnam plus petitionis: quia, cum hæc constitutio sit pœnalis, ab actore non debet extendi ad reum, seu debitorem; potest tamen actori condemnari in expensas, quia temerè litigavit, ut fiat ei aliqua compensatio, *Abb. c. l. n. 17.*

